



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 33. Lancianensis Archiepiscopi sententia de contumacia absentium
Germaniæ Episcoporum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.
A.C. 1563

tularium, quos Ecclesia primæva ignoravit: his dictis plurimum invecus est in immunitates, ac retentiones, vulgo *Reservationes*, quas Apostolica Sedes concedebat, cum tamen hæc vocabula, ut ipse affirmavit, Ecclesiæ veteri essent ignota. Dein offensum se nonnunquam graviter fuisse testabatur, cum consideraret, leges esse temporarias, immunitates vero, ac reservationes, quæ sunt legum vulnera, esse perpetuas: tandem conclusit, quod potuerit alias existimari tempus opportunum immunitatibus, ac ejusmodi privilegiis, nunc vero tempus adsit restituendi Episcopis, quod illorum est.

§. XXXIII.

*Lancianensis Archiepiscopi sententia
de contumacia absentium Germanicæ Episcoporum.*

*Pallav. n. 7.
Rayn. n. 91.* Die decima septima Maji Lancianensis Archiepiscopus ansam præbuit novæ disputationi, quæ Legatis non levem inferebat molestiam; quippe hic Præsul, cum sententiam suam circa tertium Canonem de abusibus promerret, palam effatus est, Episcopos obstringi, ut per se ipsos conferrent Sacros Ordines, cum tunc, si ipsimet exacte suo munere fungerentur, Ecclesia reformaretur, eoquod tum ipsimet reside-

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

residerent, gregemque suum pascere-
 at e contrario ab Episcopis Germaniæ,
 & in primis a S. R. J. Electoribus suas
 Episcopatum Infulas quasi contemni
 inquiebat: his prolatis conversus ad
 Drascovizium Quinqueecclesiensem Epi-
 scopum, hæc subjunxit: *Te alloquor,*
Reverendissime Domine, tanquam Orato-
rem Cæsaris, quænam est ratio, cur
Episcopi Germaniæ, ac præcipue Septem-
viri ad Synodum non conveniant, negligentes,
deponentesque e memoria jusjurandum
ab ipsis hac de re in ipsorum electione edi-
tum: si frenis, si stapedibus aureis utun-
tur, si cum tanta pompa, tantoque comi-
tatu obequitant, si Principes & Ecclesia-
sici, & laici sunt, cuncta hæc obtinent,
quæ sunt Episcopi, & tamen nolunt inter-
esse Concilio: si præpedirentur, oporteret
procuratores ab ipsis mitti, sicut effectum
est ab Archiepiscopo Salisburgensi, & ab
Episcopo Eistatensi, ac Basileensi, quo
pacto aliqua ex parte suo muneri satis-
facerent.

§. XXXIV.

Quinqueecclesiensis Episcopi rationes,
ob non ablegatos a Germanis ad
Synodum Procuratores.

[nde Lancianensis Archipræsul a ne- *Pallav. l. 9.*
 mine interpellatus ad reliqua argu-
 menti capita progrediebatur: absoluta
 Q 5 autem